

1497
Navis Ve-
netæ cum
Turcica
classe con-
fictus.

turam proficiscuntur , more institutoque majorum , con-
vehendis iis hominibus , qui aut voto suscepto , aut reli-
gione permoti Christi Dei Filii sepulcrum , quod est
Hierosolymis , adire atque invisere cupiunt , in Syriam
quotannis statu tempore mitti solita , cum ad Maleam
iter faceret , in Turcarum regis classem Arige præfecto
incidit . Ea erat navium oneriarum duarum , triremium
item duarum , biremium quinque . quarum biremes duæ
ad navem reipublicæ præmissæ vela demittere jusserunt .
Mos est nauticus ejusmodi , ut qui plus aut viribus aut
dignitate pollut , velint , ut quæ sibi occurrerint naves ,
velificationem intermittent , antennasque demittant , cum
honoris sui causa , tum ut , si quid ab illis querere , aut
petere velint , possint . id qui nolunt facere , jus est bel-
lo cogere ut faciant . sæpeque accidit , ut ea de causa
pugnæ maximæ existerent , plurimorumque hominum cæ-
des consequerentur . Aloisius Georgius (is enim erat navis
Venetæ præfctus) classem esse illam piratarum existi-
mans , antennis non demissis cursum tenuit . quod ubi
Turcæ conspexerunt , ab utroque illum latere suis triremi-
bus cinxerunt , & sagittarum magnam vim in eum mit-
tere cœperunt . Id cum parum proficeret , navibus suis
omnibus illum expugnare contenderunt . eo in certamine
Turcæ navis Venetæ scalam sæpe condescenderunt , aliisque
a partibus in navem profilierunt : sæpe ignem injecerunt ,
quo & plutei combusti , & præfecti cœnaculum ipsa in
puppi , & majora vela conflagraverunt . Sed tanta remi-
gium & nautarum , atque in primis advenarum virtus
fuit , ut cum ab hora diei sexta usque ad quartamdeci-
mam pugnavissent , Turcæ receptui canentes , & signo
pacificationis sublato , priores pugnam desinerent ; Ari-
gesque missis ad Aloisium ex suis , qui salutem illi dice-
rent , magnumque atque fortem virum esse testaren-
tur , pacem benvolentiamque cum illo iniit . Missi qua-
draginta milites ex iis , quos Janizaros appellant , suis in
navibus interfectos esse Aloisio significaverunt . Ex Vene-
ta interierunt quinque : vulnerati complures : in his præ-
fectus